

petuis temporibus possidendas, ipsas dominas et eius monasterium plebanis iam existentibus cedentibus aut decedentibus ex tunc prout ex nunc per praesentes in corporalem possessionem ducimus aevis temporibus possidendam. In quorum evidentiam firmiorem nostrum sigillum praesentibus duximus apponendum.

Praeterea nos H. dei gratia praepositus, H. decanus, Albertus de Luppa archidiaconus Nysicensis, Vlricus custos totumque capitulum eiusdem ecclesiae Misnensis omnibus et singulis supradictis nostram bonam voluntatem nostrumque apponentes consensum benivolum et expressum, nostrum sigillum praesentibus appendimus pro robore firmiori. Testes vero huius rei sunt nobiles viri dominus Otto buregravius de Dony senior et filius eius Ernestus, dominus Hermannus buregravius Misnensis, dominus Hermannus buregravius de Golsin, dominus Heinricus et dominus Tymo fratres de Colditz, Heinricus de Gorgewitz, item dominus Cunradus praepositus sanctae Aerae, dominus Nycolaus plebanus in Suselitz, Albertus officialis curiae Misnensis et H. notarius eiusdem curiae et alii quam plurimi clerici et layci fide digni. Datum et actum Misnae anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XVI<sup>o</sup>. II. Nonas Septembris.

Nach zwei Originalen im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

Zwei an demselben Tage von dem Probst und dem Convent zu Seuslitz ausgestellte, den hier besprochenen Vertrag besprechende Urkunden werden im Urkundenbuche des Kl. Seuslitz mitgetheilt werden.

No. 364. 1317. 18. Aug.

*B. Withego II. eignet der Domkirche mit Zustimmung des Capitels zwei Hufen zu Gana, deren Lehn ihm aufgelassen worden, zum Jahresgedächtniss des Domherrn Alb. von Pack.*

In nomine domini amen. Nos Wythego dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus recognoscimus publice per haec scripta, quod cum honorabilis vir Heinricus decanus praedictae nostrae ecclesiae duos mansos in Gana<sup>a</sup>) sitos, in censu annuo duo talenta denariorum solventes, unum videlicet in die beatae Walpurgis et unum in die beati Martini, et in festo Paschae unam sexagenam ovorum et in festo beati Martini sex pullos, quos quidem mansos rusticus quidam Tizscho nomine possidet apud Petrum de Bresyn, qui eosdem mansos a nobis et ecclesia nostra tenuit iure feudali, pro anniversario Alberti de Pack bonae memoriae Misnensis canonici in ecclesia Misnensi singulis annis perpetue peragendo iusto emptionis et venditionis interveniente titulo pro quatuordecim schocis grossorum Pragensium comparavit petens, ut eosdem mansos ecclesiae Misnensi appropriare dignaremur. Nos saluti eiusdem Alberti intenti salubriter iustis petitionibus ipsius decani liberaliter inclinati, resignatione bonorum praedictorum ab ipso Petro de Bresyn prius recepta, praedictos duos mansos cum suis iuribus et utilitatibus universis ecclesiae Misnensi de consensu nostri capituli et voluntate unanimi pleno iure donamus, appropriamus et appropriatos in nomine domini confirmamus, ius quod in bonis seu mansis praedictis habuimus ad saepedictam ecclesiam Misnensem omnimode transferentes. In cuius rei testimonium sigillum nostrum

a) Oberjahna, Par. St. Aera.?